

Q. B. V!
De

1682, 2 9

REPRESSALIIS. 25

Specimen Inaugurale Juridicum,

Quod

Autoritate & Consensu

Magnifici & Nobilissimi

Jctorum Ordinis,

PRÆSIDE

NICOLAO MARTINI, JC.

Novell. & Phil. Civ. P. P.

Collegii Jurid, h. t. Decano.

PRO LICENTIA, 25

Summos in Utroq; Jure Honores, ac

Privilegia Doctoralia, legitime consequendi,

publicè ventilandum exhibet

ADOLPH. MATTHÆUS RODDE,

Lubecensis.

ad Diem Martii Anni 1682.

In Auditorio Majori, horis ante & Pomeridianis.

KILONI,

Literis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.

2

2



I. N. D. N. J. C.

§. 1.

Antistium Labeonem, qui omnibus doctrinae solidioris praesidiis instructus, ad jus Civile explicandum accessit, innumeras ejus difficultates, non alia re magis, quam Vocabulorum originis diligenti scrutatione, superasse, Veterum testimoniis constat. Idem Labeonis institutum nos quoque de Repraesentaliis, non quae poteramus ac debebamus, sed quae temporis, cujus cancellis includimur, angustia permisit, pauca commentaturi, sequemur. Vocem igitur ipsam quod attinet, minus illam Latinam, neque; Scriptoribus Latinis cognitam, extra dubium ponendum est. Vide *Vossium de Vic. serm. 3. c. 42.* Originis tamen Latinae esse, & à reprimendo dici, quod vim injustam, aut injusticiam reprimant, & per duplex S. scribi debere, possumus concedere. placet haec derivatio. *Petro Frid. de Process. l. 1. c. 46. n. 4.* Qui ab Italica voce *Presfa*, capturam significante, deducunt & per simplex S. scribunt, suo sensu per nos abundant. Sunt, qui per Diphthongum scribunt, & à Repraesentando derivant, quod spoliatori ereptum repraesentet illud, quod deest spoliato, de quo etymo vid. *Coler, de Process. Exsec. p. 1. c. 2. n. 260.* quibus adstipulatur *Rhodingius Pandect. Camer. l. 1. Tit. 11. in fin.* Dicta esse videntur,

A 2

(ver-

4

(verba sunt Laudati modò Autoris) à representatione aliorum, quod videlicet detenti representent personas eorum, qui petitori justiciam denegarunt. Non etiam desunt, qui à re-
prædando dictas volunt Repressalias. vid. *Limn. J. P. l. 4. c. 8. n. 305.* Quid si statuamus, quasi *Repressalias* dici, à reprehendendo? Est autem reprehendere nihil aliud, quàm in vicem, aut loco alterius, aliud capere; quæ nominis deductio arridet *H. Grotio de J. B. & P. l. 2. c. 3. in annot. ad §. 1.* quod respondeat voci Saxonicae, *Withernamii.* Sed cum in hisce non videantur sitæ opes Græciæ, Criticorum filiis talia transmittenda.

§. 2.

Vox hæc Repressaliarum non uno modo sumitur, primò namque *remedium* notat, quomodo & nonnullis describitur: *remedium extraordinarium*, quo Civitas utitur adversus aliam Civitatem, jus & iusticiam denegantem, ejusq; bona & Cives. Porro significat *actum ipsum*, quo alius pro alio apprehenditur, aut res pro re detinetur. Denique in sublimiori acceptione, Juris Consultis, & Moralium Doctoribus, ipsum jus apprehendendi & detinendi, dicit, quæ quidem significatio præsentis erit negotii.

§. 3.

Variis nominibus & Appellationibus, à diversis Autoribus designari Repressalias, certum est. *Repressalia* dicuntur *Ifernica*, & *Matth. de Afflictis in Consist. Neapol. Tit. de press. puniend. & de Cultu pacis.* adde *Cujac. Commentar. ad l. un. C. ut nullus ex Vicanis pro alio Vican. debit. teneatur.* Clarigationes Veteribus vocatas, putat *Ant. Perez. ad Tit. C. ut nullus ex Vican. §. 6.* adde *Claud. Coteraum de Jure milit. l. 3. c. 22. §. 2. lit. A. qui ex Quintil. l. 1. Decl. 1. descripsit.* Quidam pigno-

pignorationes appellitant, & ita concinnius ac elegantius dici sentit *Limneus d. l.* Latinio rem esse hanc vocem, extra litem est, quanquam Repressalias pignorationibus alii contradistingunt *vid. Rittersh. ad Novell. part. 3. c. 7. n. 4.* qui tamen *num. 3.* sic describit, ut à Repressaliis nihil differant; de quo infra, loco magis proprio, dicendum. Sunt qui diffidationum vocabulum, ut *συνώνυμον*, Repressaliis substituunt, cum certum tamen sit, repressaliis, diffidationes immane quantum interesse, quod ex infra dicendis fiet itidem manifestum. Galli *Literas Marchæ, Jus Marchæ, aut,* uti *Cujac. ad d. l. un. C. inflectit, Marque, Droit de Marque,* vocare consueverunt. Ubi monendum est, inter jus *Marquæ,* & *Repressalias,* discrimen alios agnoscere, quos suæ opinioni permitimus. Dicuntur autem *Repressaliæ* ideò *Jus Marchæ,* quod in *Marchis* i. e. limitibus regionum cum primis exercentur. Angli Saxones, Teste *Grot. c. 1. §. 4. Withernamium,* vocabulo extra controversiam Teutonico, dicunt; Germanis *Rechtliche Hemmungen / Aufshaltungen /* audiunt. Nimis arcto uti vocabulo, qui per *ἐνεχυριασμόν* Græcorum exponunt, Grajorum idioma curatius edoctos, facile crediderim, concessuros; Enimverò alteram tantummodò *Repressaliarum* speciem, per quam res apprehenduntur, & detinentur, voce hac secundum se spectata, designari, nemo, quod arbitror, temere ibit inficias. An præter nativum vocis usum, laxior alius Græcis placuerit, valde dubitandum est, neque *Constitutio Justiniani Græca,* *ἡ δὲ τῆς μήτε προσώπυ, μήτε πράγματι, μήτε χρευσίς γίνεσθαι ἐνεχυριασμόν,* rem conficit. Falsum quoque est, *ἀνδρολήψιον,* qua voce utitur, *loco non uno, Demosthenes,* aut *ἀνδροληψίαν,* sub *ἐνεχυριασµῶ* contineri, sed species esse oppositas. utramque ve-

rò sub nomine τῆς Σύλης 'comprehendi, certum' puto; de quo fusiùs tractandi postea nobis dabitur occasio.

§. 4.

His ita, præliminarium veluti loco, breviter præmissis, cum, juxta sapientissimum Tullii effatum, omnis, quæ à ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debeat à definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputatur, nobis id quoque dictum putabimus, eoque proinde allaborabimus, ut accuratam exhibeamus. Omnem, in jure Civili, definitionem periculosam esse, *Javoleni JC. in l. 202. de R. l.* effatum est; quod multis illorum, qui legitimam scientiam præ se ferunt, ignorantia obtentum esse, ac in pravum sensum detorqueri, norunt eruditi. Nobis aliam mens est, neque aliorum proinde, vel definitionibus, vel descriptionibus immorari, precium operæ existimamus. Esto igitur, *Jus Repressaliarum, facultas Moralis, ipso Natura aut Gentium Jure, Civitati, illiusq; rectoribus, ob denegatum jus competens, alterius Civitatis, quæ injusta est, neque jus reddit, Cives, aut res Civium apprehendendi ac detinendi, donec justitia administretur & suum cuique tribuatur.* Hujus definitionis accuratior, & ex causis potissimum deducta explicatio, totum præsens constituet & absolvet negotium.

§. 5.

Inter causas primo se effert loco illa, quæ Philosophis dicitur *Efficiens*, & ad præsens argumentum accommodatò, *in remotam & proximam*, (neque enim Philosophorum lingua loqui, illorumque terminis uti, erubescendum est *IConsultis*) dispescitur. De remota Litem esse inter *Moralium Consultos*, non potest latere *Doctiores*; dum non pauci, *Repressalias regulariter iniquas esse, contendunt, a-*
liis

aliis strenuè pugnantis pro illarum æquitate; quæ disceptatio inferius locum suum fortietur. Nos causam Repressaliarum efficientem remotam constituimus *Jus aliquod*, quo illæ, si non primitus introductæ, saltem non sunt improbatæ. Jus, cum sit aliud Naturale, quod & Gentium dicitur, aliud verò arbitrarium, sive, ut cum *Grotio* loquamur, Voluntarium, & hoc, vel divinum, vel humanum, quod à singulis Civitatibus, in proprium usum est conditum; causam Repressaliarum efficientem remotam, & quidem principalem, esse Jus Naturæ, eique non repugnare Repressalias, quò minùs audacter pronunciemus, causam non habemus.

§. 6.

Asserto, quæ sequuntur, fidem facient argumenta. Primum erit, quod speciem quandam belli esse Repressalias, & eandem rationem habere, quàm bellum, etiam illi concedant, qui illarum impugnant æquitatem. Bellum verò, in se spectatum, juri Naturæ non adversari, in confesso est, & rationibus invictis ostensum ab *Hugone Grot. de I. B. l. 1. c. 2.* ut plures alios, brevitatis studio, taceamus. Porro, (quod alterum potest esse argumentum) ut per vim consequamur, quod nostrum est, aut quocunque modo nobis debetur, ab illo, qui via juris experiri non patitur, quandoquidem ipsum Naturæ Jus concedit; exinde plus quam manifestum est, repressaliis adversus illos uti, qui justitiam administrare detrectant, juri Naturæ minime repugnare; imò jure hoc maximè permitti. Pertinet huc illud *Ciceronis 3. d. offic. Cum sint duo genera decertandi, unum per disceptationem, alterum per vim, confugiendum est ad posterius, si non liceat uti superiore.* Accedit his tertium; quod si jus hoc non detestatur, sed approbat bella, quæ mul-

8

multorum tamen malorum & calamitatum causa sunt, ac infinitam sæpius hominum multitudinem morti subjugant, non possit non etiam, & multò equidem magis, permittere Repressalias, quibus in compendium controversia mitti, & bellum, majus utique malum, potest præcaveri. Ad extremum, sublato Repressaliarum usu, quoniam unum ex his evenire necesse est, ut aut improbitati hominum fenestra aperiatur, aut privatæ vindictæ via pandatur, aut denique bella, magno Societatis humanæ malo, in infinitum extendendi, fræna Imperantibus bellorum cupidis laxentur; vel exinde satis in promptu est intelligere, Iure naturali improbari Repressalias, tantum abesse, ut sit statutum, ut non minus, quàm bella, imò magis, eo jure approbari & permitti videantur.

§. 7.

Simile de Jure divino, quod positivum sive voluntarium dicimus, esto judicium; illud namque, quoad hunc articulum, non refragari juri Naturæ, neque præter illud quicquam diversi constituere, multis poterat evinci, si non esset iste Labor. Illo jure bella permitti, pro Imperantium debito, subditorum bona, imo vitam quoque teneri, sacra Testis est, & exemplis comprobatur, historia. Dicitur de Causa efficiente remota, quam principalem diximus.

§. 8.

Sequitur minus principalis, quam facimus jus Civile singulorum populorum, cum quo, plurium Gentium Leges Civiles conveniunt. Hoc enim jure quemadmodum & diversarum Gentium pactis, quædam circa Jus Repressaliarum potuisse introduci, & reapse introducta esse, dubitari ne-

9
nequaquam debet, quæ juri Civili singulis Gentibus proprio, pluribus extra pactum communi, sunt omninò tribuenda; Facit huc *l. 6. ff. de J. & J.* Hæc autem qualia sint, infra, suis quæque locis, sparsim tractabimus.

§. 9.

Remotam excipit causa Efficiens Proxima, per quam intelligimus illos, quibus decernendi & concedendi Repressalias, quod Græci olim *ῥύσιαι καταγγέλλειν* dicebant, jus est. Quinam verò sint illi, superius a nobis data indicat definitio, quæ jus hoc Civitati, ejusque Rectoribus, h. e. illis, qui imperum (*τὸ κέριον* uti & *πολίτευμα* Græci, Majestatem recentiores vocant) habent in aliqua Civitate, tribuit. Per Civitatem, multitudinem, sive cœtum hominum liberorum perfectum, h. e. *αὐτόνομον, αὐτετελή, καὶ αὐτόδικον* ut *Thucydidis* stylo utamur, intelligimus. Paucis; populum liberum aut qui, ut olim in formula erat apud Romanos, in sua potestate est, indigitamus. Huic tanquam subjecto communi, jus hoc decernendi Repressalias inest. Cum verò Civitas libertatis suæ publicæ actus publicos, summam corporis sui attinentes, modò per unum, modò per uno plures, sive Optimates, sive multitudinem, expediat; Liqueat exinde, in Regno ad Regem, in Aristocratia ad Optimates, in statu multitudinis, ad populum, potestatem hanc pertinere.

§. 10.

Referri huc poterant quæstiones nonnullæ, de his qui inæquali fœdere tenentur; qui populi alterius patrocinio ac tutelæ subsunt, qui pro redimendis injuriis aut comparanda tutela certum quid exsolvunt; denique, qui feudi legibus sunt obnoxii; an nimirum & illi summum imperium habere, possint dici in hoc argumento? Sed temporis &

B

pro-

propositi habenda est ratio. Legi meretur, adhibita tamen diligenti cautione, *Crotius d.j. B, lib. 1. c. 3. §. 21. & seqq.* Vassallis litem movet *Ludovicus a Peguera decis. 11. num. 7. & duob. seqq.* Ubi format quæstionem. *An unius Regni Vassallis liceat, ad ulciscendas injurias, sibi in alienis regnis illatas, personas & bona alienorum regnorum pro aliena noxa capere, Repressaliis propria autoritate utendo.* Nobis affirmativa verior videtur, quicquid contrà alii moliantur.

§. II.

In imperio nostro, Repressalias indulgendi potestatem competere Imperatori, nemo, nisi perquam ineptè dubitaverit. *An imperii Principibus idem Jus tribuendum?* disceptant Jcti. Negat *Bartol. Tract. d. Repress. quest. 3. n. 4.* quem, ut fieri solet, longo agmine sequuntur alii, iique famæ haud obscuræ Doctores, quibus adstipulatur *Carpzov. p. 4. c. 16. d. 4.* & suum haud dubiè calculum adjicient quos inania nomina *μορμολύκεια* terrent. Nos, Principibus Jus illud vindicare nulli dubitamus; non quidem propterea, quod quilibet Principum tantum posse dicatur in suo territorio, quantum Imperator in imperio, neque, quod imperium nostrum, juxta nonnullos aut systema sit, aut ad illud accedere quam proximè videatur, (quam quidem Philosophiam rebus Imperii admodum periculosam, nostram non facimus) sed ideò, quia & in partem imperii veniunt cum Imperatore Principes. & *συναρχόντων* locum in Comitibus tenent. *Paurm. de Jurisd. l. 2. c. 2. n. 63.* & longè nobilioribus, & excellentioribus juribus, qualia sunt, jus belli, foederum, Legatorum mittendorum, quæ vel Lex expressa tribuit, vel consuetudo firmat, fruuntur. Idem pro nostra sententia afferunt exempla, quibus adducendis & enarrandis nolumus detineri.

Argumenta quibus utuntur dissentientes, ejus ponderis haud existimamus ut operose confutari mereantur. Certe illa quæ ex aliis affert *Limnaus J. P. lib. 4. c. 8. n. 313.* parum conferre ad probandum, quod intenditur, nobis est omnino persuasum, neque solidam Jurispublici artem | edoctorum suffragia desperamus. Neq; profecto meliora sunt, quibus *Carpzovius* nititur, fundamenta, quæ convelli nullo negotio pollent, nisi nobis esset properandum; quod in conflictu, enata occasione, dabimus probatum. Ex quibus apparet, quid de illa, nonnullis agitata quæstione judicandum. *An status Imperii, ad Repressaliarum usum contra externos, consensum & auctoritatem Imperatoris, vel Camera requirere teneantur, ubi periculum est in mora, & occasio Repressaliis utendi adest?* de qua vid. *Nicol. Myler. de Princip. & Statib. Imper. c. 56.* Illud extra controversiam ponimus, Magistratibus, utpote Vicariis & Ministris imperium habentium, Repressalias decernendi facultatem jure proprio nequaquam competere. Non placet *Gailius*, qui de *Pignor. Observ. 2. n. 1.* antiquitus concessas ait à Principe vel Magistratu merum & mixtum imperium habente. Quod unde hauserit, equidem nescio. Antequam hinc abeamus hoc etiam, velut ἐν παρόδῳ, monendum putamus, olim cum in usu adhuc essent diffidationes, quamlibet Civitatem, municipalem quoque, adversus aliam Civitatem Repressalias concessisse, Teste multis in locis *Lehmanno in Chron. Spirens.* Falli porro *Grotium*, quando *c. l. §. 7. Jure Gentium singularis pignoriandi jus esse*, statuit, clarius apparebit ex illis, quæ ad formam à nobis infra dicentur.

Progrediamur ad subjectum h. e. ad homines, quibus & contra quos, licitè possunt Repressaliæ concedi, quorum illi Græcis olim *ῥυσιάζοντες*, καὶ *ῥύσια λαμβάνοντες* appellabantur, hodie Pignoratores, & Repressaliantes, hi repressaliati barbarè dicuntur. Decernuntur autem Repressaliæ Civibus injuriam passis. Civem quomodo describat *in Oper. de Republ. Philosophus*, notum est. Nobis hoc loco Cives sunt, qui pleno jure loci gaudent, in quo fortunarum suarum sedem fixerunt, sive iisdem cum aliis fruuntur privilegiis, & Legibus subjecti, & oneribus obnoxii sunt. In Originarios & ascitos, sive assumptos, tribui illos, quem quæso fugit? Utrisque autem concedendas Repressalias, ut æque Civibus, dubium non est. Neque, quod modus habendi Civitatem ponit, discrimen attendendum. Pertinet huc quæstio de Civibus cooptatis, quos Cives ex conventionione vocat *Bartholus Tract. de Repress. quæst. 5. An scilicet illis contra Civitatem Originis concedi Repressaliæ possint?* v. g. si quis Holmiæ in Svecia natus domicilium habitations Londini fixerit, ibique Civitatem asciverit, quod utique affirmandum.

At verò majus dubium habet illa. *An ei, qui post factam sibi injuriam, & denegatam justitiam, in Civem est assumptus, concedenda sint Repressaliæ?* Afferenti posset præsidium parare, quod ex coitione in corpus Civile, fiat, ut injuria, quæ uni membro facta est, totum Civitatis Corpus tangere videatur, adeoque communi ope subveniendum sit Læso; Verum cum nulla hoc casu facta Civi, nedum Civitati, sit injuria, agatur insuper de executione violenta, materia profectò odiosa, & ex qua facile potest ad arma deveniri, &

13.
& Civitati periculum prognosci, rectius negari quaestionem,
quicquid alii forte opinentur, censemus.

§. 15.

Simile esto iudicium de Civibus, qui, cum sint unius
Civitatis, in alia debent haberi ut Cives illius Civitatis, id-
que ex conventionem, vel Statuto. His enim Repressalias
in illa Civitate, contra tertiam dari neque posse, neque
debere, nisi pacto sit adjecta conditio hæc, 'quid dubitamus?
Συνθήκας esse pacta ad commercia, Contractus, sponsiones,
similesque, quibus inter se privati communicant, actus,
ac inde enatas controversias, pertinentia, ut alter alterum
iudicio convenire, ac vicissim ibi conveniri possit, utque
Civium jure fruatur uterque, novimus. Unde liquidò patet,
talem obligationem producere, pacta hæc non esse idonea,
ex qua repressalias contra tertiam Civitatem decernendi,
necessitas illi Civitati incumbat.

§. 16.

De Clericis, quam nonnulli movent, vix dubium habet
disceptatio; illos enim Cives esse, cumque aliis in corpus
Civile conjunctos, iisdem gaudere privilegiis, neque illis
minus atque aliis, contra injurias tutelam deberi, haud te-
mere quis negaverit. Neque sequitur, ex culpa Laicorum,
non possunt dari adversus Clericos Repressaliæ, *Barthol.*
Tract. de Repressal. quest. 7. princ. Ergò à beneficio Repres-
saliarum prorsus sunt exclusi. Cæterum notari pulchrum
Grotii e. l. §. 7. monitum debet; *non minus in hac materia,*
quàm in aliis, cavendum esse, ne confundamus ea que juris
Gentium, hoc est juris Naturalis, proprie sunt, & ea, que ju-
re Civili aut pactis populorum constituuntur.

B 3

§. 17.

De incolis quoque suborta dubitatio est. *An & illis concedenda Repressalia?* Ratio dubitandi est, quod Civives non sint, neque pleno jure gaudeant loci, in quo fixam fortunarum suarum sedem habent, sed in quam plurimis, quæ personarum favorem concernunt, cedere, ac Civibus inferiores esse jubeantur. Hæc & similia alia, utut speciose jactentur, tanti tamen non sunt, ut ab indultu repressaliarum incolas repellant. Certum namque primo est, Repressaliarum beneficium non denegari illis, qui se suasque facultates Corporis Civilis tutelæ submiserunt, quibus hac conditione receptis, adversus vim injustam præsidium debent Imperantes. Accedit alterum, quod annuam pecuniam, aliaque societatis onera cum Civibus sustinenda, incolis his imperando, ad defensionem & protectionem, Majestas, etiam citra conventionem obligetur. *Incolas autem Domicilium facere, Impp. Diocletianus & Maximianus l. 7. C. de Incolis rescribunt, quod in eodem loco habere non ambigitur, ubi larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituerunt, unde rursus non sint discessuri, si nihil avocet, Iid. l. 7. C. de incolis. qui, quid Civibus distent, docent Interpp. ad Tit. ff. ad Municip. & de incolis, & ad C. de Incolis.* Tales incolæ cum sint judæi, ubicunque gentium & locorum domicilium figentes, illis quoque Repressaliarum beneficium non posse abnui ab Imperantibus, sub quibus vivunt, fieri videtur exinde manifestum.

Ab his incolis diversi sunt inquilini & peregrini. Inquilini non jam colonis, sed incolis oppositi, sunt, qui
 extra

citra animum permanendi, habitationem alicubi constituerunt, seu, qui temporariam sedem & habitationem in Civitate aliqua collocarunt. Quemadmodum igitur habitatio & animum permanendi, incolam, sic citra eundem, habitatio, aut sedes minus stabilis & fixa, facit inquilinum. Peregrini denique sunt, qui in aliena Civitate, neque habitationem constituerunt, neque animum permanendi habent, sed ad breve tantummodo tempus, commorandi causa, alicubi versantur. Utrisque licet protectio & defensio, quamdiu in Civitate aliena commorantur, non sit deneganda, Repressalias attamen decernendas, haud equidem putaverim.

§. 19.

Spectandæ nunc Personæ, contra quas Repressaliæ decerni consueverunt. Sunt autem illæ, Civitatis alterius, quæ injusta est neque jus reddit, Cives aut Subditi. *Alterius Civitatis dico, propterea, quod inter subditos aut Concives ejusdem Civitatis, locum non habeant Repressaliæ, quippe quæ species belli, & quidē justæ. Martin Garat. Laudens. Tractat. de Repressal. n. 4. Jacobus à Canib. de Repressaliis p. 1. n. 14. Gail. de Pignor. Observ. 2. n. 2. & ibi demum incipiunt, ubi judicia cessant; Concives vero judicem habeant, coram quo de illa injuria conqueri possint. V. g. Si Gallus Germano negotiatori suas eripiat merces, licitum fuerit quemlibet Gallum detinere, ejusque merces diripere. adde Peschwiz Tract. de Repressal c. 9. n. 11. Cujac. ad Tit. C. Ut nullus ex Vican. Unicum rebellionis casum excipit Limneus J. P. l. 4. c. 8. n. 315. & exemplo declarat. Quæ adversus nostram hanc assertionem supeditat historia Germanica, facti, non juris esse, exempla, dicendum est omninò. add. Mindan de Process. l. 1. c. 49. membr. 5.*

§. 26.

Diximus §. præced. adversus Cives & subditos concedi Repressalias. Ubi notandum, *en ὁ δὲ ἀλλήλων* videri conjungi, quos inter, notabile tamen aliquod discrimen alii agnoscunt, & rectè. Verùm Cives nobis hic sunt *Socii*, quorum multitudo constituit Civitatem, quos in imperantes & parentes, è negotio præsentis dispescimus. De Imperantibus primò dispiciendum, ubi occurrit quæstio de *Rectoribus Civitatis, qui injusti sunt, vel justitiam denegant, An adversus illos quoque valeant Repressaliæ?* quam movet *Barthol. c. tract. de Repress. quæst. 6.* Sane in terminis juris Naturæ, cui omnium Gentium Civitas subest, re spectata, contra Rectores quoque tales Repressalias admittendas, vix est, ut solidum reperiat dubium. Imò, cum nihil magis rectæ rationi consentaneum sit, quàm *ibi esse pœnam, ubi & noxia est*, rescribentibus *Arcadio & Honorio Impp. l. 22. C. de pœn.* vel ex hoc solo plus quam fit manifestissimum adversus tales *ἀδικήτους* jure Repressalias decerni. Quibus porro & hoc accedit, quod in omnes licite decernantur Repressaliæ, in quos arma sumere est permis- sum. Ne nunc dicam, quod adversus subditos, ob debitum aut culpam imperantium, grassandi licentiam, Gen- tibus dederit necessitas, cum Imperantium bona non- tam sint obvia, & difficulter admodum capi possint, sub- ditorum verò res facilius apprehendantur. Pulchra sunt hanc in rem quæ habet *Grotius 3. de J. B. c. 2. §. 2. Expressit hoc, inquit, quedam necessitas, quod alioqui magna daretur injuriis faciendis licentia, cum bona Imperantium, sæpe non tam facile possint in manus venire, quàm privatorum qui plu- res sunt.*

Sequuntur parentes, illi scilicet, qui tales sunt ex causa permanente; sive indigenæ, sive advenæ, ut inquit *Grot. c. l. §. 7.* Hos verò generis haud unius constitui à Civilium Consultis, notum est studii illius cultoribus. Ratione *Ordinis*, h. e. *Conditionis istius civilis*, ex qua *sacris & cultui divino quidam sunt destinati*, in *Clericos & Laicos* tribui, & præsertim *Canonistis*, norunt legitimæ scientiæ addicti. Respectu dignitatis, quidam sunt *Nobiles*, alii *Plebei*. A forma, ut loquuntur, essentiali, aliqui sunt *mere subditi*, quibus opponuntur *Mixti*, qui in partem imperii cum Imperantibus veniunt; quidam porrò *simpliciter & absolutè tales*, quidam *secundum quid*, qui in certas parendi leges consenserunt. Modus, quo Imperantibus subsunt, diversus, quosdam facit *Mediatos*, nonnullos *Immediatos*. Denique considerata potestate vicaria, nonnullis competente, quidam sunt *privati* quidam *non privati*; quales sunt, qui publicis in Civitate muneribus & functionibus obeundis sunt præfecti.

§. 22.

Pertinent huc quæstiones, quas movendi *Bartholomæi tract. de Repress. quest. 6.* subiit lubido; de Rectore Civitatis forensi, (sic loquitur) qui injusticiam fecit, vel justiciam facere denegavit; de Officialibus dictæ Civitatis, de Consulibus, aut Prioribus Civitatis, de singularibus hominibus, vel incolis privatis, de certo genere hominum Civitatis, justiciam administrare detrectantis.

§. 23.

Nos ordini, qui semel placuit inhærebimus. Ubi primò se nobis exhibent Clerici, de quibus disceptari notum est, *An adversus illas decerni Repressalia possint?* Affirmat

C

Barth.

Barth. d. tract. quest. 7. princ. nisi sint concessæ ex culpa Lai-
corum, cui ad stipulatur *Guido Pap. Quest. 34. n. 1. & seqq.*
Negant alii, & Clericos ab hoc Repressaliarum onere faci-
unt immunes, pro quibus facit *c. un. de iniur. & damn. dato*
in 6. Frustrà verò hùc nonnulli evocant *l. 5. C. de his qui ad*
Eccl. conf. quippe quæ de seditionibus, conclamationibus,
tumultibus, & conventiculis, contra Ecclesiæ quietem
non instituendis, agit, & capitis pœnam transgressoribus
denunciat. Adversus alios verò Civitatis exteræ subditos,
cujus sint cunque conditionis, status, aut dignitatis, (nî spe-
ciale privilegium faciat eximios) nobiles, plebejos, Me-
diatos, immediatos, privatos, non privatos, valere Repres-
salias, à dubii periculo procul habemus.

§. 24.

Illorum, qui speciali privilegio muniti, extra Repres-
saliarum discrimen, non tam Naturæ sive Gentium, quam
Civili Jure, apud populos diversos attamen recepto, con-
stituuntur, integrum nobis aliqui catalogum recensent.
Legatis primæ dignitatis, quos barbaro vocabulo Amba-
satores hodie vulgus etiam appellat, principem in hoc cen-
su locum tribuimus, quibus à Repressaliarum injuriis tu-
telam, jus ipsum Naturæ, ad quod omnes populi tenentur,
videtur polliceri. Quam in rem opus non est subsidio ad-
vocare *l. 8. ff. de Rer. divis. aut l. ult. ff. de Legat.* Circa Lega-
ros hosce, nec non illorum vasa, comitesque, multa pot-
erant hùc oportune moneri, si excurrere nobis esset insti-
tutum. Unicum in Legatis requirere satis habuit *Grotius*
c. l. §. 7. nempe, ut ad hostes nostros non sint missi. Grave &
difficile negocium est, cui validiores humeros supponimus,
& ad Commissarios progredimur, quos eximere solent
hùc

hic etiam Doctores. Vid. *Rutg. Ruland. Tract. de Commiss. p. 1. l. 3. n. 16.*

§. 25.

Referuntur huc porrò, & rectè quidem, Studiosi, qui literis operam dant, per *Auth. Habita C. Ne fil. pro patr.* quæ est Friderici Imperatoris Germanici. Ex quo liquet, ad Exteros, & superiorem non agnoscentes, vim suam non protrudere hanc Authenticam, cum Lex Civilis non obliget, nisi illos, quibus est lata, & quibus, qui Legem dedit, imperat: *Unde frustra* (verba sunt *Limnai J. P. l. 4. c. 8. n. 316.*) *in Gallia, Anglia, Hispania, Germanus, studiorum gratia degens, Repressaliis ne subiiciatur, Authenticam hanc allegatum ibit, nec hilum quidem proficiet, nisi ejus desiderium gratia aliqua specialis confirmet, aut jus hoc ibi receptum, qualem novi nationis Germanicæ Scholaribus immatriculatis Aurelia datam, ne iure belli capi, & detineri possint.* Hæc ille: Quæ de studiosis jam diximus, ad Professores & Doctores illorumque familiam, sunt qui extendunt.

§. 26.

Addunt ulterius *Mulieres & Infantes, Grot. c. 11. §. 17. Mercatores ad nundinas proficiscentes l. un. C. de Nundinis.* An autem extra Imperii limites huic Legi locus sit, haud abs re fortasse dubitaveris. *Nautas Æoli violentia in Locum aliquem depulsos, per Auth. Navigia C. de furt.* de qua simile esto iudicium; valdè enim dubitandum est, an, quod illa disponit, apud alios populos quoque sit receptum; Sed neque de Repressaliarum casu *dicta Authentica* loquitur. Solent porrò adjici & illi, qui religionis causa peregrinantur; illud verò quomodo ex *Auth. omnes peregrini C. Commun. de Success.* colligant assertores, ipsi iudicent. Hoc interim

certum putamus, favorem aliquem deberi id genus hominibus, saltem ab illis, qui sunt ejusdem circa sacra hæc, & cultum talem, opinionis. Pedagium aut gabellas solventibus qui immunitatem à Repressaliarum periculo concedunt, sunt etiam nonnulli, *Baldum in c. un. qua sint Regalia n. 1. secuti*; quorum sententia ut praxi contraria, displicet *Limnao c. l. n. 316. quo loco adducit P. Greg. Tholos. Syntagm. Jur. l. 3. c. 3. n. 7. & l. 38. c. 8. in fine.* aliud tamen largitur illis, qui eum, cui salvus conductus à Domino territorij promissus, à Repressaliarum excipiunt onere. *Inius vocari prohibitos* denique huc alii accersunt, quod nobis nequaquam tamen verò videtur simile: quid enim ad exteram Civitatem, quarundam Civitatis alterius Personarum, à comparandi in judicio necessitate immunitas attinet? Sufficiant hæc de personis, quibus & contra quas Repressaliæ decernuntur.

§. 27.

Progredimur ad Objectum h. e. ad illa, quæ capi jure Repressaliarum possunt. Ex Definitione superius datâ manifestum est, alterius Civitatis Civium non res duntaxat capi, sed & Personas apprehendi posse. Personæ non minus igitur, quam Res Civium, Repressaliis objectum præstabunt. De personis actum satis est antea; nam contra quas decerni Repressalias, injustum non est, illas quoque apprehendi haud prohiberi, nisi quid aliud obstat, firma persuasione asserimus; De rebus operosior videtur inspectio.

§. 28.

Rerum, quæ nihil aliud sunt, quam *Entia, personis & actionibus opposita* (sic enim Jcti usurpant) summa divisio, juxta *Cajum Jc. l. 1. pr. ff. de R. D.* in duos articulos deducitur,

tur; aliaē namque *divini juris* sunt, aliaē *humani*. Divini juris sunt *res sacra, religiosa & sancta*; quæ nullius in bonis sunt. Humani juris, aut *publica sunt*, quæ nullius in bonis esse creduntur; *Universitatis enim sunt; aut privata*, quæ singulorum sunt. Quædam præterea *res corporales* sunt, quædam *incorporales*. Corporalium quædam *Mobiles*, quædam verò *immobiles*. De rebus, quas divini juris diximus, primò videndum.

§. 29.

Sacræ res, quæ Deo & cultui divino dicatæ sunt, an Repressaliarum constitui possint objectum, haud præter rem quis dubitaverit; propterea, quod humanis usibus exceptæ credantur. Verùm enim verò, cum tales res utiq; publicæ sint, & in bonis populi maneant, licet à fine, cui destinatæ sunt, sacræ nomenclentur, in bello etiam rapi & corrumpi possint, ab illis præsertim, qui diversa sacra colunt; denique, mutata populi voluntate, è sacris fieri possint profanæ; illas hoc Repressaliarum nexu nequaquam exsolvendas esse, plusquam fit exindè perspicuum. De religiosis & sanctis minor est difficultas; quod, uti hæ populi alicujus, sic illæ hominis aut familiæ cuiuspiam sint. *Sepulchra hostium*, inquit, *Paulus J.C. l. 4. ff. de Sep. viol. religiosa nobis non sunt, ideoque lapides inde sublatis, in quemlibet usum convertere possumus, nec sepulchri violati actio competit.*

§. 30.

Humani juris publicas res quod attinet; illas per modum Repressaliarum capere, nihil est impedimento. Sive autem Civitas ipsa aliquid debeat, aut deliquerit, sive Civium aliquis, cum non tantum contra subditos ac Cives, ex debito aut culpa Imperantium; sed, & adversus ipsos Imperan-

res ac dominos, ob delictum subditorum, Repressalia concedantur, argt. *Auth. si verò Dominus C. de heret. & Manich.* res humani juris privatas hoc modo capi, detineri, ac distrahi tandem posse, cum omnes consentiant, quid opus est ambagibus? Quærit *Barth. d. tract. quest. 8. An illarum personarum, contra quas non possunt exerceri Repressalia, res possint pro Repressaliis capi?* Nos quæstionem illam nec affirmari, nec negari etiam, citra distinctionem, debere, arbitramur. *Grot. c. l. §. ult.* eorum qui Literis dant operam, & ad mercatus veniunt, etiam res excipit. Movet & alias quæstiones *hic Bartholus*, quas consulto prætermittimus; & quis omnes illos quæstionum, sæpè inutilium, labyrinthos ingrediatur?

§. 31.

Ulterius res non corporales duntaxat, mobiles immobilesve, verùm incorporales etiã, ut Jura, Nomina, Obligationes, Actiones, & quæ sunt id genus aliæ, capi atque detineri posse, dubio vacare, nobis est persuasum; nec deessent exempla, quibus id posset probari, siquidem lubido esset evãgari.

§. 32.

Forma Repressaliarum, & quidem essentialis, ceu Philosophi loquuntur, consistit ferè in sequentibus. (1) Quod Repressaliæ sint *remedium*, & quidem *extraordinarium*. Dicimus extraordinarium propterea, quod illo uti minimè gentium sit permissum, quamdiu per judicium, aut, ut cum *Tullio* loquamur, disceptationem, quis suum potest obtinere. Enimverò cum duo sint, *juxta eundem Tullium*, genera decertandi, alterum per disceptationem, & alterum per vim, ad posterius deveniendum eo demum casu est, quo non

non licet uti priore. adde *Carpzov. p. 4. c. 16. n. 8. Klock. vol. 1. Consil. 30. n. 13.*

§. 33.

(II.) Quod sint *remedium violentum* h. e. per vim fiant; unde & executionis violentæ species vocantur. *Grot. c. 1. §. 4.* & quondam belli, & quidem justî, præ se ferre imaginem dicuntur. *Gail. Pract. Observ. l. 1. Observ. 28. num. 9. & de Pignorat. Obser. 2. n. 2. Peschwitz Tract. de Repress. c. 3. n. 3.* Multis hæc Repressaliarum cum bellis similitudo poterat ostendi, si latè hic excurrere ratio instituti permetteret. (III) Quod sint *medium indirectum* i. e. tale, quod nos via, ut sic loquamur, obliqua, ducit ad id, quod nostrum est, aut nobis, ex quacunque causarum figura debetur, dum alius pro alio apprehenditur, resque unius pro re alterius capitur, *c. un. de injur. in 6.*

§. 34.

Ad formam hanc essentialem (IV) referri debent Requisite, ad Repressaliarum non nudam solennitatem, sed justiciam necessaria. Sunt autem Requisite hæc potissimum sequentia. Primum; ut *Repressalia decernantur ab illis, qui imperium habent in Civitate.* Ratio, ob quam fieri decretum hoc ab Imperantibus debeat, hæc in mundo est, quod belli, & quidem justî, species esse Repressaliæ dicantur. Notum verò est, ad bellum, ut aliquod dicatur justum, omninò necessarium esse, ut publicè decretum sit ab Imperantibus, penes quos belli & pacis jus est. Hostes sunt, inquit Pomponius, *JC. l. 118. de V. S.* qui nobis, aut quibus nos publicè bellum decrevimus, cæteri latrones aut prædones sunt; add. *l. 24. ff. de captiv.* & hoc juri Gentium, quod naturale dicimus, circa Repressalias, etiam conveniens esse, nemo temerè

merè negabit, eoquè magis cavendum ab opinione Grotii, qui c. l. §. 7. Jure Gentium singulis jus pignorandi concedit. Neque Grotii sententiam usitata quondam apud Athenienses ἀνδροληψία quicquam juvat, cum privata autoritate Civitatis alterius hominem apprehendendi, non Gentium jure, sed Solonis instituto Civibus Atticis concessa esset facultas. Rectius proinde Perez. ad l. un. C. ut null. ex Vicar. n. 6. altera, inquit, conditio est, ut precedat jussus supremi Principis, qui, ut bellum solus indicit, ita & Repressalias permittit, utrumque legitimè, cum Principis sit, jura subditorum tueri & omnes ab illis injurias propulsare, adde Carpzov. p. 4. c. 16. d. 5. n. 3. Et hoc est, quod J Cti dicunt: Repressaliarum jus à Principe impetrandum, quod in Constit. Neapol. de Cultu pacis & Pressaliis puniend. legi, monet etiam Limneus J. P. l. 4. c. 8. Quod autem J Cti ad Monarchiam appositè de Principe dicunt, de omnibus Imperantibus in quavis Republ. intelligendum esse, nemo in disceptationem vocabit.

§. 35.

Sequitur alterum Requisitum, *justa videlicet causa, que subesse debet*, ut ad Repressaliarum subsidium legitimus fiat decursus. Causam gravem requirunt J Cti; nam ob levem aliquam injuriam, aut disceptationem, verba sunt Antonii Perezii c. l. non est adhibendum extraordinarium remedium, cum sit ordinarium. Nimirum, ubi de summa Reip. læsione depellenda agitur, ubi monitionibus, petitionibus, minis nihil proficitur, & omnibus diligentissime tentatis, nullum aliunde subsidium extat, ad Repressalias demùm deveniendum esse volunt. Petr. Heig. quest. 12. n. 52. neque propter injuriam uni aut alteri privato factam, ne fortè litis exiguæ occasione, Reipubl. tranquillitas turbetur Coler. de Process. Exe-

Exec. c. 2. n. 288. Ventur. de Valent. Parth. litig. l. 2. c. 2. n. 35.
 Coeterum hæc Philosophia omnis, non tam legalis est; quam
 Civilis & Senatoria, pertinens ad illud, quod utile, quod
 tutum dicitur, quem locum tractant Rhetores. Sanè si jus
 Nat: consulas, quemadmodum ob tutelam unius Civis, ubi
 aliud remedium haud suppetit, bellum indicere Civitas pot-
 est, ita dubium non est, Repressaliis uti posse eandem, etiam
 quando privato cuidam læsio contigit, aut damnum injuria
 datum est, cujus reparatio constanter denegatur.

§. 36.

Nos, injuriam Civi nostro aut bonis ejusdem illatam,
 justam, & adæquatam Repressaliis causam supponimus. Pau-
 cis; quot sunt actionum forensium fontes, tot, uti bello-
 rum, docente *Grot. d. J. B. 2. c. 1. §. 2.* sic & Repressaliarum
 sunt causæ. Ex iisdem enim fontibus bella & Repressalias
 oriri, certum est. Injuriam, latissimo vocabuli usu, descri-
 bimus, *factum illicitum, contra jus fasque, dolo malo admis-*
sum, per quod alterius persona, aut bonis, sive rebus damnum in-
fertur. Illicitum nobis h. l. dicitur, quod contra jus fasque
 est admissum, & quod in pugna cum lege aliqua positum est.
Grot. de J. B. l. 2. c. 1. in factam, & non factam dividit inju-
 riam; circa utrumque membrum quomodo porrò incedat,
 ipsa Autoris inspectio docebit.

§. 37.

Nos, quandoquidem nullum ob injuriam nondum fa-
 ctam, repressaliis utendi jus competere, certò sumus persua-
 si, datam paulò ante descriptionem secuti, injuriam, à sub-
 jecto, ut ita loqui liceat, passivo, *in personalem & realem*, no-
 va fortassis, haud inepta tamen divisione, tribuemus. Persona-
 lem facimus, *que persona quocunque modo, sive rebus, sive fa-*

D.

ctis

ctis infertur; realem verò, quæ bonis, aut rebus nostris fit, illas vel corrumpendo, vel auferendo. Ex utraque injuria, uti inter privatos, quibus contendere vi quotidiana licet, oriuntur actiones, quibus id quod suum est, aut sibi debetur, homines persequuntur: sic inter diversas civitates, bellorum & Repressaliarum materies prognascitur. Amplissimus sese nobis hic ostendit campus, in quem excurrere; jucundum utique foret, nisi, quæ semel placuit, instituti ratio, aliam nobis legem figeret.

§. 38.

Res, quarum intuitu fieri injuria hominibus dicitur, non alio respectu huc pertinent, quam quatenus de jure, quod circa illas, hominibus legitimè competit, quæritur. Jus, (cujus appellatione nihil intelligimus aliud, quàm potentiam moralem activam, quâ vel res tenentur, vel nobis eadem debentur) aliud *Plenum*, aliud *Pleno minus*, secuti Moralium Doctores, constituimus. *Plenum*, *Consulti Romani Jus in Re*, minus plenum, *Jus ad Rem* nominare, ad dupondios etiam pervasit. Utrumque *Facultatis* nomine designat *Grot. d. J. B. l. i. c. i. §. 4.* quam *Jctos* nomine *Sui* dicit appellare. Ipse *Jus propriè aut stricte dictum* appellat, sub quo *Potestatem, Dominium, Creditum*, dicit contineri. *Juris in re* quinque solent vulgò species recenseri. *Jus ad rem Grotio c. l. Creditum, Jctis obligatio* vocatur.

§. 39.

Circa jus hoc plenum, hominibus quoad res competens, sive res teneamus quoad substantiam, sive quoad actus aliquos, sive quoad utrumque, si læsio contingat, quod fieri modo non uno posse, certum est; quin, uti bello, sic Repressaliis via aperiatur, quis dubitabit? Exemplorum, per quæ fi-

des

des asserto fiat, segetem nobis suppeditat historia, quibus adducendis, præter necessitatem nolumus esse longiores. Idem de Credito, sive Obligatione judicandum.

§. 40.

Quoad causam denique exigunt DD, ut sit liquida, *Wesemb. Consil. 46. n. 19. Frider. de Proces. l. 1. c. 49.* Dicitur autem liquidum, quod constat, *l. 5. §. 1. ff. quibus ex caus. in poss. eat.* sive, ut alii, de quo statim per instrumentum, aut confessionem partis adversa constat; *Klock de Contrib. c. 20. n. 47.* & quod in promptu liquidari potest, ut habet *Anton: Faber in Cod. lib. 4. Tit. 23. def. 2. n. 3.*

§. 41.

Pergimus ad tertium Requisitum; tangit hoc personas, quibus, & propter quas, Represalia decernuntur. Illæ dicuntur Creditores, hæ Debitores. Creditores nobis hic sunt, non tantum qui pecuniam crediderunt, sed omnes, quibus ex quacunque causa debetur, ut inquit *Cajus l. 11. ff. d. V. S. sive ut Ulpianus l. 10. ff. eod. quibus debetur ex quacunque actione, vel persecutione, vel jure Civili, vel honorario, quique exceptione perpetua non possunt submoveri l. 55. ff. eod.* Atque hinc Creditores etiam dicuntur, qui rem aliquam jure domini persequuntur. Debitores sunt, qui ex quacunque causa debent, Ubi notandum, verbum *debendi* laxius hic accipi, ut *debere* dicatur, qui jure quid prestare tenetur, etiamsi factu aliquo suo ad id sese non obstrinxerit. Unde apparet, debitores hoc sensu dici etiam illos, qui rem aliquam possident, quam alius, suam esse, contendit. In hoc debite requiritur, ut sit solvendo, aut saltem fuerit tempore requisitionis. Cum enim is nullam videatur habere actionem, cui propter inopiam debitoris, aut adversarii, inanis est actio *l. 6. ff. d. dolo mal.* (non

D 2

quod

quod inopia debitoris tollat jus agendi, sed quod effectu destituatur sententia) neque superior requisitus, dici possit iustitiam denegasse, quando illius administratio fieri nequit; sequitur exinde, neque quisquam refragabitur, Repressaliis, hoc inopiae casu, locum non esse.

§. 42.

Quartum requisitum nobis erit; ut *Civitas, contra quam decernuntur Repressalia, sit iniusta.* Dicitur autem *iniustus*, nostro, h. e. ad praesens negotium accommodato sensu, qui *ius non reddit.* Ita enim erat in veteri formula feziali: *Testor illum populum iniustum esse, neque ius reddere.* Est verò ius reddere, *distrahere controversias, & punire maleficia,* quod *per legitimos tramites, calumniantium iniquitates expellere dixit Princeps proem: Instit. pr:* Hoc igitur modo quae non distrahit controversias, quae non punit maleficia, iniusta est Civitas, & ius dicitur denegare. Quinimò procedendum hic ulterius est, & dicenda Civitas iniusta, non tantum, quae in controversia neutiquam dubia, contra ius pronunciat; verum etiam, quae in causa est, quo minus intra tempus idoneum, iudicium possit obtineri. *add. Grot. c. l. §. 5.* Inter has enim moras, si bonis interim debitor excidat, atque ita damnum laeso actori contingat, ad eius reparationem, aut ad id quod interest, Civitatem teneri, nemo, quod arbitror, in dubium magnoperè vocabit.

§. 43.

Extremo denique loco, *ut de illa iniustitia publicè constet,* requiritur. Constare autem per implorationem, sive interpellationem, multi existimant, quae est *actus, per quem ledentis Magistratum vel Judicem, aut supremum Civitatis exteræ Rectorem laesus adit, ac ius, & iustitiam sibi administrari decen-*
ter

ter petit. Ubi statim occurrit Quæstio, nonnullis Dd. agitata; *An primò adeundus Magistratus, eoque justitiam denegante, Judex supremus?* Negantem sententiam tuetur Guido Pap. *quest. 33.* Contraria verior aliis videtur. *Add. Limn. c. l. n. 314.* Hæc sive Judicis, sive imperium habentis imploratio, frustra à læso, aut creditore, tentata, secundum nonnullos, hunc sortitur effectum, ut viam Repressaliis aperiat. Et sanè, re in solis Juris naturæ terminis spectata, poterat videri, id asserendum. Verùm, quia denunciationes, ad bella, non tantum ut solennia habeantur, sed etiam justa dicantur, paucis casibus exceptis, tantoperè necessariæ, vicem supplet hæc interpellatio, illa verò denunciatio publico Civitatis nomine, fieri omninò debet; sequitur exindè, hanc implorationem, sive admonitionem, publica quoque autoritate fieri, omninò conveniens esse. *Omnia enim priùs experiri decet amica compellatione, inquit Limnaeus c. l. n. 314. quàm armis & contentionibus locum concedere.* Quod si verò ne hac quicquam profecerit viâ, Repressalias petenti concedat; quo enim casu, bello justa causa posita est, eodem & Repressaliis. Hæc ille. Implorationem, sive admonitionem hanc itaque licebit describere, quod sit *actus Imperantis, quo alterius Civitatis Rectorem, ad querelas læsi Civis sui, amicè compellat, ut jus & justitiam admistret, nî Repressalias velit decerni.* Quanquam postrema verba poterant omitti, cum tali admonitioni tacita hæc insit conditio; *Repressalias nempe decretum iri, nisi petito satisfiat.*

§. 44.

Dictum de forma Repressaliarum essentiali; sequitur accidentalis, quam *in petendo, decernendo & exsequendo* Repressalias, consistere, certum putamus. Petitionem quod attinet, Jure Civili multorum locorum peti Repressalias so-

D 3

lere,

lere, alibi à potestate summa, alibi à Judicibus. *Grot. c. l. §. 7.* existimat, cujus asserti scrutamen cuivis rem intelligenti permittimus. Nobis alia in hoc negotio arridet Philosophia; Repressalias nempe petendas ab illo, qui concedendi jus habet: Istud verò jus penes solos Imperantes esse, qui belli decernendi pollent facultate, ex supra dictis constare, arbitramur. Bearnensibus legem esse municipales, quæ Repressalias vetat dari, nisi jure priùs ter petito, & denegato, ex (*Choppin: de Doman: Franc: l. 3. Tit. 25. n. 4.* tradit, *Limneus c. l. §. 314.* Ad petitionis formam accidentalem spectant quoque gradus, in petitione, juxta nonnullos, observandi, quod negotium sollicitum tenet *Bartholum*, de *Repressal. quæst. 4. n. 6.* qui multa hinc movet, & juris Romani scita ibi Lectori obtrudit. Porro pertinet huc etiam *dene- gationis factæ probatio*; qualiter antea injustitia facta, aut justitia denegata probetur, tractat *Barthol. c; sapiùs Tract. de Repressal. quæst. 4. n. 12.* Nudam, & solam ejus, qui læsum seconqueritur, assertionem, in tanti momenti negotio, & ex quo bellum justo metu potest præsumi, rem non conficere, nemo dubita verit. Plena igitur, h. e. omnem dubitationem tollens, requiritur probatio, neque læsi satis est jus jurandum. Jungendus *Limneus c. l. n. 314.* Probationem verò non tantum per testes, aut instrumenta fieri, sed & artificialem hinc admitti debere, quæ ex facti circumstantiis essentialibus, ipsisque adeò, ut sic loquamur, causæ visceribus, eruitur, negari non potest. Verbi gratia, si mercatori Batavico ereptæ fuerint in Gallia merces, & publicè postmodum divenditæ, neque auditæ, aut admittæ Batavi querelæ, interim aliquot anni fuerint elapsi; quis, denegatam esse hoc casu justiciam, adeoque læsi petitionem niti veritate, dubitabit? Ut ut neq; testes, quibus id

id probet, evocare, neque instrumenta producere possit. Formulam petendi Repressalias, *vide apud Coler: de Process. Exec. p. 3. c. 8. n. 60.* Cæterum quis ad hunc modum incedendi, gentibus imponet necessitatem? Et frustrâ esse, qui ad juris privati Romani dictata, Bartholive, aut alterius Doctoris, quisquis ille tandem sit, placita, in hoc negotio recurrunt, apud nos nullum habet dubium.

§. 45.

Decernuntur Repressaliæ, vel purè, vel sub conditione; in diem quoque concedi posse, dubium non est. Nonnulli- bi certis adhibitis solennitatibus, decerni solere, deducta ex historiis exempla faciunt testatum; quæ omnia, & similia alia, ad formam, quam dicimus accidentalem pertinere, nemo est, qui non concedat. Quæstiones hic aliquot proponit *Barth: Quæst. 4. n. 1. & seqq.* Prima est, *quo ordine concedantur ab eo, qui recognoscit superiorem?* de qua, quid sentiendum, ex superius dictis abundè constare, certum habemus. Altera huic ferè affinis est: *n. 6. Quis sit ordo, quando petuntur ab his, quibus est concessum, per statuta populi, aut per constitutiones alicujus domini!* Alia est: *n. 15. An, quando Repressaliæ conceduntur, permittatur, capi & detineri, ut ex primo, vel secundo decretò?* Cæteras omitto, studio brevitatis; neque, si verum dicere fas est, multum ad rem facere videtur, hujus, vel illius privati Doctoris opiniones, utut Legum Romanarum placitis vel maximè firmitas, aut munitas, in aciem producere, quibus alligari se, diversarum Gentium Rectores neutiquam patientur.

§. 46.

Extremum occupat Executio, quam hic describimus, *decreti, de capiendis rebus & detinendis hominibus Civitatis injusta,*

justa, ad effectum perductionem. Prima hîc de captis homi-
 nibus quaestio oritur. *An quis possit capere homines per se, an
 per Ministros!* Movetur illa *Barthol. de Tract. quest. 9. n. 1.* Dif-
 ficultas omnis tolletur, si dicamus, ad concessionis formu-
 lam in hoc negotio esse respiciendum; in qua, si verbis ex-
 pressis permessa sit potestas hæc læso, privata autoritate, & su-
 periore non requisito, Civitatis exteræ Civem detinendi, ju-
 re hoc concessio rectè is utetur. Nullum namque dubium
 est, *Repressaliis modum & mensuram à Principe concedente sta-
 tui, & dari posse, quam observare conveniens erit,* inquit *Limnaeus c. l. n. 316. in fin.* Si nihil tale contineat formula, ministro-
 rum ac officialium publicum officium requirere, necesse ha-
 bet *Repressaliis* usus. Et tunc personæ hoc modo captæ,
 imperium habenti, aut superioribus tradi, & in publicam
 custodiam, honestam tamen, duci debent, per ea, quæ tradit
Barthol, cit. quest. 9. n. 2. vincula porrò & corporum nexus
 abesse debere, ex *Joh. Gallo quest. 334. & 359.* docet *Limnaeus, c.
 l. n. 317.* Ex quibus apparet, homines captos in suo privato car-
 cere, & custodia detinendi, licentiam privatis, quibus con-
 cessæ sunt *Repressaliæ*, non esse permittendam. Neque il-
 li jus hoc sibi possunt arrogare, nî gravissimam pœnam ve-
 lint incurrere; *vid. D. D. passim, & ad Tit. C. de priv: Car-
 cer: inbib:* Nequaquam verò credendum est, omnes, iis-
 dem quoad hunc articulum institutis, aut usos olim fuisse, aut
 adhuc dum hodieque uti populos. Occurrunt enim hic A-
 thenienses, quibus olim licuisse per *ἀνδεργληψίαν* privata au-
 toritate usurpatam, jus suum consequi, vix potest negari.
 Permittendæ igitur, quoad hunc passum, moribus ac institu-
 tis suis sunt Gentes, dummodò sciant, idem in se statuendi
 jus aliis concedere, qui *Repressaliis* asperius utuntur. Jus
 interim

interim Naturæ, cui gentes omnes subjiciuntur, humanitatem si non imperat, saltem commendat, utque hoc modo capti, & detenti benigne habeantur, honestius, & societati hominum universali, quam inter diversarum Civitatum homines, natura constituit, conducibilius esse, indicat.

§. 47.

Personas excipiunt res captæ, de quibus non idem sentiunt DD, & rectè quidem *Grot: c. l. §. 7.* inter jus Gentium, & jus Civile distinguit. *An autem iure illo Gentium, quod Grotius putat, ipso facto, dominium rerum captarum acquiratur, ad summam debiti, & sumptuum, ita, ut residuum reddi debeat?* posset quis profectò non de nihilo in disceptationis periculum vocare. Ratio dubitandi est in promptu; quod, cum actus agentium non operentur ultra intentionem eorum, ut habet *Barbosa l. 9. c. 74. Axiom. 5.* & verò Repressaliis utens non id intendat, ut res illæ captæ fiant capientis, sed ut pignoris jure tamdiu retineantur, donec læso sibi satisfiat, aut, cessante omni satisfactione, tum demum ex illis suum læsus consequatur, cogi ex in manifesto videtur, dominium rerum istarum, capientibus, ipso capiendi actu, nequaquam acquiri. De quo negotio infra ad effectum pluribus dicetur.

§. 48.

Jure singulorum populorum Civili, quid circa res captas constitutum, illius, & præsertim Romani, Doctorum oracula sciscitatum eant, quibus otium est; nihil ad nos illa res attinet. Res captas, pro Repressaliis posse per capientem retineri, *Bartholus* scribit *quest. 9. n. 3.* Judici illas exhiberi debere, alii volunt. *Jure Civili solere citari, quorum interest, res, publica autoritate divendi, aut addici iis, quorum interest, dicit Grot: c. l. §. 7.* quodnam verò Jus Civile indiget, incertum

E

tum

tum est; nī dicere velis, verba sequentia satis indicare, loqui illum de jure, quod κατ' ἐξοχήν Civile dicitur, Romano, quando ad *Bartholum*, aliosque, qui jura Civilia tractant, in hac materia Lectores ablegat. Hujus loci sunt, examinare, quæ de conficiendo inventario, de consignando repertorio, de bonis, publica autoritate vendendis, & adjudicandis, ne in casu plurium Creditorum, fraudi locus relinquatur, scribunt Doctores. Videndi *Barthol. quest. 9. n. 3. & 4. Limneus c. l. n. 318. Heig: p. 1. quest. 12. n. 62.* Qualia verò sint hæc, & quam inter Gentes obligandi vim habeant, quibus non est cornea fibra, levi negotio judicabunt.

§. 49.

Finem statuimus duplicem, *Remotum* alium, & alium *proximum*. Illum, in *ultimum*, & *intermedium* tribuimus. Ultimus nobis est, *salus Civitatis*, ac in salute singulorum, juxta *Platonem*, consistit. Intermedius est *justitia*, quia *Repressalia conceduntur, ne pereat justitia*, ut ait, *Gailius l. 1. observ. 28. n. 9. adde Martin: Laudens. d. Tract. n. 8. Choppin. de Dom. l. 3. Tit. 25. n. 5. Papon. de Arrest: l. 2. Tit. 1. arrest. 3.* Proximum facimus alium *principalem*, alium verò *minus principalem*. Hic est; ut Civitas, quæ injusta est, neque jus reddit, ad resarciendum, quod datum est, damnum, eò facilius permoveatur, aut, satisfactione deficiente, è bonis detentis, satisfiat læso. Ille; ut debitor præstet, quod præstari, juri & æquitati consentaneum est.

§ 50.

Effectus vim suam præprimis in hoc exserit, quod per *Repressalias*, jus suum pignorat, & quidem indirectè, sive, ut supra diximus, via quasi obliquâ, consequatur. Verùm distinctè hic, & per gradus veluti, erit incedendum. Belli, & quidem

quidem iuri, imaginem præ se ferre, diximus antea Repressa-
 lias. Belli duos esse novimus effectus, dominium nempe,
 & licentiam. Quemadmodum igitur per Bellum, victori,
 dominium eorum, quæ ex hostibus cepit §. 17. *Instit. de R. D.*
l. 5. §. 7. ff. d. A. R. D; ita Repressalianti, jus aliquod in bonis
 captis atque detentis acquiri, negandum non est. Quale
 verò sit jus illud, quod isto capiendi actu acquiritur, dispici-
 endum est. Jure Gentium, quid circa res illas captas consti-
 tutum *Grotius* existimet, supra monitum est. Nos, præter
 jus pignoris, primo capiendi actu, nihil acquiri Repressalianti,
 nisi aliud concessionis formula sit expressum, persuasum cer-
 tò habemus. Testatur illud Repressaliantis, qui pignorato-
 ris exinde cognomen obtinuit, appellatio. Idem loquitur
 intentio capientis, quæ hæc est; bona interim detinenda es-
 se, ut magis in tuto sit creditum, donec de debiti solutione,
 aut, quod datum est, damni reparatione, Civitatis injustæ in-
 dicio constet. Unde, ut hæc quoque, velut in transitu mo-
 neamus, apparet, quam possessionem pignorator in re, pro
 Repressaliis, (ut *Bartholi* latinatam non aspernemur) capta,
 nanciscatur; naturalem scilicet, quæ talis est ratione formæ
 possessionis, ut loquuntur *J. Cti.*

§. 51.

Hujus verò juris, quod in sola crediti tutela consistere,
 ex antea dictis plusquam fit manifestissimum, nî læso Re-
 pressalianti satisfiat, sequela tandem est, *res captas, suas faci-*
endi, aut distrabendi facultas. Rebus detentis, inquit Perez: ad
C. ut nullus ex vicin: num. 7. ne, ut propriis, uti vel abuti lice-
at, sed sub hasta publicè vendantur, & quatenus fieri potest, re-
rum judicatarum solennia observentur, qui secus fecerit, damna
sarcire debebit, quæ ob juris formam neglectam, acciderint. Quam

E 2

juris

juris formam hinc intelligat *Perezius*, ipsemet viderit; nec enim Gentes omnes eandem sibi præscribi, æquo animo ferent; sed Juris Romani Interpretum hi sunt mores, ad Legum suarum modulum, citra discrimen, omnia metiri.

§. 52.

Ad effectum quoque referunt aliqui actiones, competentes illis, quibus ob culpam alienam aliquid decedit. De quibus hinc agendum paucis est. Verum, de his quam dicamus, monendum prius illud est; adversus pignoratorem, aut eum, qui Repressaliarum beneficio est usus, nullam competere pignorato, sive, ut nunc loquuntur, Repressaliato, actionem; ac proinde, si quæ datur, exacto per Repressalias, ut *Bartholi* verbis utamur, actio, illam ex alio fonte promanare. Ex quo sponte jam sequitur, actionem, sive remedium illud, quo damnum passo succurritur, Repressaliarum dici effectum, minime gentium posse. Cæterum, ad actiones ipsas, quibus pignorato adversus illum, qui Repressaliis occasionem præbuit, succurri volunt, nobis est progrediendum.

§. 53.

Valde vero hinc fluctuant, & ab invicem dissentiunt Doctores, qua actione fontem, hoc est, illum, qui non præstando, ad quod tenebatur, aut justitiam vel denegando, vel injustè protrahendo, pignorationis causa existit, pulsare debeat pignoratus. *Grot: c. l. §. 7. in fin. ipso naturali, ac divino jure, talem teneri ad resarcienda damna aliis, quibus eam ob causam aliquid decedit*, rectissimè quidem scribit, sed, quo remedio ei consulatur, non addit. *Hunnus disput: de Repress: th. 28. Limneo c. l. n. 319. citatus*, omnibus obloquitur, & nullam prorsus actionem, nullum regressum, contra verum debitorem permittit ei, qui damnum ex Repressaliis passus est; quod

quod cum hoc, ille, neque contraxerit, neque in eum deliquerit, omnis verò actio in personam vel ex contractu, vel ex delicto nascatur. Nec ab æquitate, ad actionis competentiam valere putat argumentum. Cum nihil sit æquius, quam, quod pacto promissum est, præstari *l. 1. ff. d. pactis l. 1. ff. de Constit. Pecun.* nulla tamen Jure Civili prodita sit actio, per quam ab invito id exigatur. Ostendere porro allaborat, neque condictioni ex Lege, neque negotiorum gestorum, neque actioni Legis Aquiliæ, hinc posse locum concedi. Quæ Hunniana tanti visa momenti videntur non nemini, ut ad Implorationem officii Judicis recurri debere, existimaverit.

§. 54.

Sub judice litem adhuc esse fatemur, qua actione, tales possint in foro Civili conveniri. *Barthol: de Repress. Quest. 10. n. 1. & 2.* duas format quæstiones. Prima hæc est. *An exacto per Repressalias, (sic loquitur) succurratur in Civitate propria, contra illum privatum, cujus occasione concessæ sunt Repressaliæ?* Ad quam ita respondet; *posse solventem petere, quod sibi cedantur actiones contra principalem debitorem, ad similitudinem correi fidejussoris, & ejus qui exactus est, per hypothecariam.* Altera quæstio est. *An exacto succurratur contra Receptorem, qui neglexit facere justitiam?* quod affirmat; modò prius fuerit excussus debitor principalis: sed quid, si judex ipse non existat solvendo? Respondet, *veniri ad alios officiales, qui requisiti, cum possent alios cogere ad faciendum, aliisolvere neglexerunt;* citat in argumentum *l. 1. §. 10. ff. de Tut. & rat: distrab:* Et hæc *Bartholi* quoad hunc articulum, juris Philosophia est, quam, naturali æquitati maximè convenientem esse, nemo utique negabit.

E3

§. 55.

Nostra sententia hæc est; in solis & nudis Juris naturalis terminis quæstione spectata, debitorem principalem, nec non judicem quemcunque, justitiam denegantem, ad damni, quod contigit, reparationem, obstringi, & ad illam, superioris officio, posse, ad instantiam ejus, qui damnum passus est, adigi, atque compelli. Quo autem nomine salutetur actio hæc, insuper habere jus Naturæ; Neque enim Condictio- nis ex Lege, Negotiorum gestorum, aut Legis Aquiliæ actio- num, juri huic, quo Gentium omnium Civitas continetur, vocabula innotuerunt. Si vero, cum respectu ad Rempubli- cam Romanam, ejusque Leges, quæstio tractatur, inter debi- torem principalem, & judicem, sive superiorem, qui jus non reddit, omninò fuerit distinguendum, ita quidem, ut adver- sus hunc Legis Aquiliæ actio sola, locum sibi vindicet; Con- tra debitorem verò, qui præstationem ejus, quod debetur, injustè denegavit, vel *Condictio ex Lege, vel negotiorum ge- storum actione utili & extraordinaria, vel Legis Aquilia, de damno injuria dato*, possit experiri pignoratus.

§. 56.

Et quidem Condictio ex Lege, dabitur quasi ex mente Legislatoris, æquitate suadente. Quodsi strictam juris ra- tionem, ob quam introducta hæc ex Lege Condictio est, se- qui velis, fatendum utique fuerit, vix esse, ut huic Condictio- ni locum concedas. Negotiorum gestorum actionem, *uti- lem* saltem, aut *extraordinariam*, ceu loquitur *Brunneman: ad l. 3. §. 10. ff. de Neg. Gest.* in hoc negotio *Limneus c. l. §. 319. admittit*, quam assertionem fundat *in d. l. 3. §. 10. ff. de neg. gest.* ubi *Ulpianus J.C.* hac actione, non eum solum teneri, ait, qui spontè, & nulla necessitate cogente, immiscuit se negociis alie- nis,

nis, & ea gessit; Verum, & eum, qui aliqua necessitate urgente, vel necessitatis suspicione, gessit; Ex quo apparet, collabi oppositionem Hunnianam, quæ spontaneam, ad negotium alterius gerendum, accessionem requirit, & ad §. 1. inst: d. Obl. quæ ex Contract: nasc. provocat. Neque ulli dubitamus, falsum esse, quod dicit Hunnius, debitorem principalem per Repressalias à debito non liberari. Nec meliora profectò sunt, quæ sequuntur; Repressalias, nempe, non tam ad debitorem spectare, quam eum, qui justitia administrationem denegavit. Ejusdem furfuris credenda, quæ Legis Aquiliæ actioni Hunnius opponit; cum ad fundandam Legis actionem, saltem subsidiariam in factum, satis sit, quocunque modo damnum contigisse, §. ult. Instit. de L. Aquil. & ad illam DD.

§. 57.

Major, circa Judicem ostendere se difficultas videtur, cum notum sit, Jure Romano Judicem, qui per imprudentiam malè judicavit, litem suam facere, & ex quasi delicto teneri. pr: Instit. de Obl. quæ quasi ex del. nasc. Qui ergo verum erit, ex Lege Aquilia eundem posse conveniri? Ad hoc obstaculum, modo haud uno, potest responderi; Primò namq; certum est, textum ex Institutis adductum, de judice pedaneo loqui, & de illo casu intelligendum esse, quo per imprudentiam malè is judicat. Hoc autem loco, de Judice tali, qui simul Magistratus est, agitur. Neque de imprudentia, sed de dolo, sermo est, quo casu, gravius puniri Judicem, qui male judicavit, & ex vero delicto teneri, notissimum est, ex l. 25. §. 1. ff. de Jud. & ad illam Brunnemann. Auth. Novo Jure & l. fin. C. de poen: Jud: qui male jud: & ibid. Brunnemann: quibus locis gravissimæ poenæ Judicibus per dolum malè judican-

dicantibus statuuntur, adde *Struv. Exercit. 50. Th. 87. Ekholt ad Tit. de extraord. Cognit. §. 5.* Quibus porrò & hoc accedit, quod Lege Aquilia non tantum is teneatur, qui ipse damnum dedit, sed & ille, qui damno dedit occasionem, uti rectè tradit *Limnaus c. 1. n. 319.* damni verò, ad quod unicè in hoc negotio præsentì respicitur, causam existisse Judicem, justitiam vel denegando, vel injustè protrahendo, non potest quis inficiari. De Effectu satis hæc sunt.

§. 58.

Dividi Repressaliæ possunt (I.) *A subiecto*, ad exemplum bellorum; in *Civiles*, sive *internas*, & *externas*, quarum illæ quidem adversus Cives; hæ verò contra externos conceduntur. Quamvis enim suprà dixerimus, adversus Cives, aut subditos ejusdem Civitatis, non habere locum Repressalias, unicum tamen Rebellionis casum tum excepimus, quem exemplo insigni, *Limnaus c. sapius l. n. 315. illustrat*, desumpto ex *Petro de Vineis l. 5. Epist. 48.* quo Fridericus II. Imperator, adversus rebelles Anconitanos, Repressalias concessisse scribitur; add. *Carpzov. p. 4. c. 16. d. 5. n. 5.* Jungi potest & hoc; nimirum temporibus antiquis cum in usu essent diffidationes, *die Fehden und selb. Gericht / da kein gemeiner Landfriede auffgerichtet* / nihil fuisse frequentius, quam, ut in Cives, h. e. ejusdem societatis membra, Repressaliæ fierent; quæ postmodum, constituta Pace profana, ab usu recesserunt.

§. 59.

(II) *Ab objecto*; in *generales*, sive *Universales*, & *speciales*, quas & *particulares* possis appellare, Repressaliæ tribuuntur. Illæ sunt, quæ simpliciter contra personas, & res Civitatis exteræ quascunque decernuntur. Hæ contra certum homi-

hominum genus, v. g. Mercatores, & illorum res, promulgantur, quarum in historiis non desunt exempla, quibus adducendis, præter necessitatem nolumus occupari.

§. 60.

(III) Denique ab eodem objecto; duæ Repressaliarum oriuntur species, altera Græcis ἀνδροληψία, h. e. hominum captura, sive prehensio; altera ἐνεχυριασμός, pignoris capio dicebatur. Ἀνδροληψίαν describere possumus, *Jus prehendi, di Civem alterius Civitatis, in causa factæ cædis potissimum eumque detinendi, donec à capti Civitate sibi satisfiat*; Apud Athenienses hæc in usu quondam fuit, de qua Legis Atticæ verba hæc Grotius c. l. §. 3. exhibet: *Ἐάν τις βιαίω θανάτῳ ἀποθάνῃ, ὑπὲρ τῶν τοῖς προσήκουσιν ἔναι τὰς ἀνδροληψίας, ἕως ἀν ἢ δίκας τὰ φόνος ὑπόχωσιν, ἢ τὰς ἀποκλείουσαι ἐκδώσι, τὴν δὲ ἀνδροληψίαν εἶναι μέχρι τριῶν, πλέον δὲ μή.* Ex quibus verbis probè expensis, sequentia discimus (1) in casu mortis violentæ Civi illatæ, jus ἀνδροληψίας fuisse. (2.) Propinquis jus illud competiisse, adeoque privata autoritate potuisse excerceri. (3.) Tamdiu licuisse captos detinere, donec aut sumptum de fontibus supplicium, aut homicidæ essent dediti. Ex quibus apparet, nullum in captorum vitam, jus, capientibus fuisse datum, sed obligatam solùmmodo libertatem. (4) Plures, quam tres, capere, aut prehendere, non licuisse.

§. 61.

Quæ non poterant hic opportune quæri, ac in disceptationem vocari? *Annon, extra casum cædis, pro vindicanda, quavis alia, persona facta injuria, liceat uti ἀνδροληψία? An in vitam quoque captorum liceat sevire, eo casu, quo neutiquam justitiam vult administrare Civitas prehensi? hoc est, neque*

F

de

delinquentem dedere, neque debitâ pœna afficere. Cujus ultimæ quidem quæstionis decisio pendere poterat videri ex illa; *de Dominio Civitatis, in vitam Civium.* Ardua profectò res hæc, & multorum disceptationibus divexata. Certe ab obsidibus ductum, ad tali modo captum, non putamus valere argumentum. Verum nos hîc jubet Plato quiescere. Porro; *An naturali æquitati conveniens ullo dici modo possit, homines innocentes ita detineri?* haud equidem fuerit inanis quæstio? Item; *quis dicendus sit illorum status, qui ita capti detinentur.* Ulterius; *An Civitas teneatur, & quo jure, fontem, qui ad illam confugit, aut punire, aut dedere?* Denique; *An optio permittatur Civitati, & eo casu, quo fontem non puniri, sed dedi sibi, postulat exterâ Civitas?* Quæ, & similia momentosa alia, Benevolo Lectori, consideranda proponimus. Hoc crediderim, certum esse; personas captas interim benignè habendas, neque durius aliquid in illas statuendum. Ad judicem illas vult duci *Bartholus de Repress. quæst. 9. n. 2.* Similis est androlepsiæ, retentio Civis exteri, ob Civem suum, manifesta injuria captum. Vid. *Grot. §. 3. in fin.*

§. 62.

Sequitur altera species Repressaliarum, *Ἐνεχιασμός*, pignoris capio, sive rerum pigneratio, quam describere licebit, jus ulterius Civitatis Civis resprehendendi, ac detinendi, donec ab altera illa Civitate sibi satisfiat. *Ἐνεχυρον* pignus significat, hinc *ἔνεχυραζω* & *ἔνεχυρασμός*, cujus ab androlepsiâ discrimen, ex objecto, fine, & effectu facilè dignoscitur, & ex illis, quæ de Repressaliis generatim superius dicta sunt, nullo negotio indicatur. Quapropter nobis jam hic permittitur esse brevioribus.

§. 63.

Affinia paucis quoque perlustranda; Est autem Repressaliis affine (I) *Bellum* cujus imaginem esse Repressalias, supra diximus *Bellum Grotius, 1. de J. B. c. 1. §. 2. Ciceronis* descriptionem emendans, definit, *statum per vim certantium, quæ tales sunt; quæ generalitas, ut inquit, omnia bellorum genera comprehendit, de quibus agendum deinceps.* Quæ circa hanc definitionem nonnullis moventur, ad nos non pertinent. Nobis eo sensu describitur *bellum* quod sit, *status naturali subsidiarius, in quo societas aliqua, ob non usurpatum erga alios jus nature, dissolvitur.* Verum, cum non una vocis hujus apud scriptores sit acceptio, & modo tempus belli, in oppositione ad *prælia*, quæ sunt actus belli, modo *ipsam belli actionem*, nonnunquam, *statum Certantium*, denique *ius, per vim agendi, & suum consequendi*, significat; Manifestum fit exindè, è diversis his acceptionibus, diversas suboriri descriptiones. In contentione cum *Actione*, per quam privati, citra vim armatam, in judicio, quod sibi debetur, persequuntur, omnium optimè fortassis *bellum* definietur, quod sit, *ius per vim armatam persequendi, quod sibi debetur, aut injuriam illatam vindicandi*; Belli cum Repressaliis similitudinem latius exsequi nobis h. l. non est institutum.

§. 64.

(II) Alterum Affine faciamus *Diffidationem*, quæ vulgo describitur; *denunciatio animi hostilis, per quam quis alteri significat, se eum armis, igne, spoliis & rapinis persecuturum.* Admodum frequentes olim in Germania fuisse has diffidationes, da das Faust-Recht/und selb. Gericht noch im Brauch und kein gemeiner LandFriede auffgerichtet war. *In Chronic. Spirens. passim Lehmann. alique scriptores testantur*; Nolumus hic

excurrere; *Videndi Doctores ad Tit. 17. A.B. ut & Bockl: dissert: de Clarigat, & Manifestis, c. 2. in fin. Besold Thesaur. Pract. voce Absagung & Fehde. Carpz p. 4. c. 14. 15. 16. alique passim laudati.*

§. 65.

(III) Affinis Repressaliis est etiam *Pignoratio*, propriè & stricte dicta; hanc non satis bene aliqui describunt, quod sit, quando unus pro alio debitore, vel res unius, pro re alterius apprehenditur, atque ita alius pro aliogravatur. *Rittershus. ad Novell. p. 3. c. 7. §. 3. Matthias Stephan. ad Novell. 52. n. 3. ubi citat. Coler. de Process. Exsec. l. 2. c. 2. n. 298. & seqq. Gail. de Pignorat. observ. l. n. 3. Pignorationem ex Constitutione Imperii fieri, dicit, quando status, vel Nobilis, subditos, aut eorum bona mobilia, ob contentiosam jurisdictionem vel possessionem alicujus juris, quod eo loci, ubi fit pignoratio, pretenditur, capit, ac pignori accipit. citat. c. 1. de injur. in 6. Et Jacob: à Canibus Tractat. d. Repressal. p. 1. num. 1. Blumius Process. Cam. Tit. 32. §. 1. definit, actum, quo quis immediate Imperio subjectus, alterum similiter subjectum, ipsiusve subditos pignorat, aut capit. Hæc pignoratio fit, ob turbatam Jurisdictionem, vel possessionem, idque privato arbitrio. Gail. c. l. n. 5. & pro conservanda jurisdictione, libertate, aliisque juribus, est permessa; Carpz. p. 2. c. 27. d. 3. Quomodo à Repressaliis, arresto, & spolio differat Pignoratio, docet Gail. c. l. n. 4. 5. 6. & 7. Ubi pignorationem describit, turbationem possessionis, per quam, captis pignoribus, jure suo quis uti prohibetur. Unde nos edocti, quandoquidem pignoratio, non tam actum, quam jus significat Jctis, eandem describi posse putamus; quod sit, jus, per quod jurisdictionem, libertatem, aliaq; id genus jura, captis pignoribus, quis conservat, servitutes vero*

&

& possessionis turbationes quascunque avertit ac removet. Add. *Matth: Coler p. 1. decis. 136. n. 14.* Effectus illius in duobus potissimum cernitur. 1. In damni, quod datum est, restitutione. 2. In præscriptionis interruptione, *Matth. Coler. de Process. Exec. p. 1. c. 3. n. 129.* Requisita quinque vide apud *Gail. de pignorat. Observ. 3. & qui ex Gailio descripsit, Blumium c. antea Tit. 32. n. 4. & seqq.* Ex quibus satis in promptu est, intelligere, Repressaliis pignorationes quid intersint.

§. 66.

Ad Affinia Repressaliarum (IV.) pertinet Arrestum, quod manus injectionem, & impedimentū latinè dici posse, ex aliis scribit *Gail. de Arrest. c. 1. n. 2. & 3.* Esto autem nobis jam quidem arrestum; actus, quo *Judex, sive Magistratus, ad instantiam Creditoris, personam, aut bona debitoris detinet, neque dimittit, donec impetranti satisfiat.* Effectus in eo potissimum cernitur, quod Personæ discessum, rerumque amotionem, impediatur. Vide plura apud *Gail. cit. Tract. de Arrest. Petr. Peck de Jure sistendi c. 1. n. 4.*

§. 67.

Spolium denique (VI) nonnulli hūc referunt, quod aliquam cum Repressaliis habere affinitatem, negari non potest. Est verò spolium, juxta *Blumium de Process. Cam. Tit. 27. §. 151, De possessione dejectio, quæ fit facto, juri quidem contrario, non tamen pacifrago.* Nos describemus, actum, quo de possessione rei immobilis, per vim quis dejicitur. A pignoratione quomodo spolium differat, egregiè docet *Gail. de Pignorat. Observat. 1. n. 7. 8. 9.* Add. *Rittersh. c. a. l.* Repressaliis quid distet spolium, multis edocere præciū operæ non est. Sub hoc Affiniū censu, *Retortio juris iniqui, Obstagium quoq; & Contra-*

cambium censetur. Vid. de Repress. dissert. Praef. Beato Hahnio Helmestadii Anno 1656. habitam, membro V. De quibus fusius differere, brevitatis amore omitimus.

§. 68.

Ad *Contraria* nos ordo deduxit; inter quæ principe loco se exhibet *Causa justa defectus*. De causis, ex quibus Repressalia legitimè decernuntur, suprâ, pro instituti modulo, actum satis esse credimus, quæ huc repetere, esset extra necessitatem. Deficiente itaque causa justâ & legitimâ, hoc est, tali, ex qua læso detur actio in foro humano, deficere jus Repressaliarum, certum est. *Quid, si causa fuerit dubia?* cessare & hoc casu Repressalias, videtur omninò dicendum. Est autem causa dubia, quæ probabilibus in utramque partem potest argumentis disceptari; ita, ut post examen legitime institutum, animus non in medio hæreat, sed modo huc, modo illuc, ducatur, iudicii que libertas impediatur. Argumenta, verò, aut ex re petuntur, aut ex opinione, quam quis habet de aliis hominibus, sententiam super ea re pronunciantibus. Quando itaque causa sic se habet, ab indultu Repressaliarum rectius abstinebunt, quibus decernendi competit facultas. Similes enim illi debent esse Fabio Cunctatori, qui, sicut eum l. 1. de Bello Pun. sec. Silius laudat - - -

*Cauta speculator mente futuri,
Nec letus dubiis parvisque laceessere Martem.*

§. 69.

Ad *Contrariorum* classem porrò pertinet, *Inopia debitoris*; per quam, Repressaliarum jus impediri, extra omne dubium collocamus, de qua *superius* §. 41. aliquid est dictum. Hic verò notandum; quando per debitoris inopiam Repressalia dicuntur excludi, id cum hac intelligi limitatione debere,

bere. *Nisi iuris administrationem, aut denegando, aut iniuste protrahendo, hunc inopia casum, iudex interpellatus provocaverit.* Adeoque, sive dolo, sive negligentia sua effecerit, ut damnum læsus incurreret; quo casu, ad damni, ejusque, quod interest, reparationem, Judicē tenerie, xtra controversiam est.

§. 70.

Contrariis etiam, non inepte fortassis, *Mendacium Repressaliantis* quis adjecerit. Tractant hunc locum, *Martinus Garatus Laudens. de Repress: n. 55. & seq. ut & Jacob: de Canibus p. 1. n. 47. in fin.* nempe, qui per calumniū Repressalias obtinuit, omnia damna, læso resarcire tenetur, & quadrupli pœna insuper afficitur. Adde *Menoch: Consil. 244. n. 22. Danhoud. praxi Criminal. c. 98. n. 30. Zahn de Mendac. l. 2. c. 70.*

§. 71.

Denique in recensione Contrariorum, non omissenda sunt, *Mandata executiva sine clausula* quæ contra Repressalias, in Camera solent obtineri, de quibus consulatur *Sixtinus de Regal. l. 2. c. 1. n. 35. ut & Privilegia statibus Imperii & Civitatibus liberis ab imperatore concessa, Gail. de Pignor: observ. 2. n. 4. Coler. de Process. Exec. p. 2. c. 3. n. 34. Heig. quest. 121. n. 4. & 10.* Verùm, hæc, sive privilegia, sive Mandata, non nisi ad Repressalias in Imperio, adversus Concives decernendas, pertinere, nec ullo pacto exteros tangere, quis est, qui non videat? Hi ergo, insuper habitis istis mandatis, & privilegiis, secundum Civitatis suæ Legum, & Consuetudinum præscriptum, quod suum est, aut sibi deberi contendunt, Repressaliarum interventu persequuntur.

§. 72.

Finem Dissertationi nostræ priusquam imponamus, Ad-ditamenti loco, quæstiones aliquot, Doctoribus, circa hoc de Repressaliis argumentum agitas, adjiciemus. Prima, de Repress-

preffaliarum justitia concipietur. In dubium hanc multi vocant, nominis haud obscuri prudentes, quibus calculum adjiciunt *Carpz. p. 4. c. 16. d. 4. Ventura de Val. Parth. Litig. l. 2. c. 2. n. 30. Jacob. Wisenbach. Disput. de Repress. §. 3. & nuperimè Sprengerus Instit. jur. Publ. l. 1. c. 26.* aliique, quos omnes huc evocare, non est necesse. Quæritur ergo; *An jure defendi Repressalia possint?* Nos Repressaliarum justitiam oppugnantium primò proponemus argumenta; inde, quibus suam sententiam defendant rationibus affirmantes, quibus & nos accedemus, scrutabimur. Denique negantium adversariorum objectiones diluemus.

§ 73.

Si quis igitur omnia, quibus, ad impugnandam Repressaliarum justitiam, adversarii utuntur, argumenta, in compendium velit redigere, ad hæc tria recidet illorum summa. 1. *Quod omni Juri, Naturali, Divino, Civili, & Canonico Repressalia contrariantur: quod λαν μέγα ἀίτημα* quo pacto probent, inferius apparebit. 2. *Quod sint violentum, & privatam vindictam spirans remedium.* 3. *Addunt, & exaggerant, pericula, que ex Repressaliarum concessione, toti non nunquam Civitati immineant,* cum fieri facile possit, ut bellica inde tempestas oriatur; æquitatem verò naturalem non admittere, ob unius membri læsionem, aut injuriam uni factam, totum Reipubl. corpus in discrimen adducere. Et hæc sunt, nisi fallor, præcipua, si non omnia, quibus Repressaliarum aliqui injustitiam superstruunt, fundamenta.

§. 74.

Nos, ut antea quoque diximus, pro Repressaliarum jure militantium castra sequemur, illarumque justitiam, æquitatem, utilitatem, haud è trivio utique desumptis argumentis,

tis, ostendere ac evincere allaborabimus. Nolumus hic viciose repetere, invicta illa ac immota, quæ *pro vindicandis Repressaliis supra §. 6.* de imagine belli, quam præ se ferunt Repressaliæ; de facultate per vim consequendi, quod suum est, ipso jure naturæ competente; tum porrò, quod privatæ vindictæ viam præcidant, ac bella in infinitum extendendi cupiditati, frænum injiciant Repressaliæ, jam tum adduximus. Nec immemoriam consuetudinem, quod nonnullos facere videmus, hic ante aciem collocabimus, eò quod illa, quæ in se spectata, injusta, & iniqua sunt, tollere, aut corrigere consuetudo nequaquam possit. Sed pauca tantummodò, superioribus illis nunc addemus. Primū erit, quod ad vindicandas injurias, ab externa Civitate illatas, remedium non possit expeditius alterum excogitari. Qui belli viam ambulant, per multas malorum ambages, serius ad id perveniunt, ad quod leviore Repressaliarum via ducti, sine cœdibus, sine sanguinis prodigalitate, sine vastatione ac incendiis, maturiùs perducere potuissent. Accedit, quod Repressaliæ, species quædam videantur Retortionis juris iniqui, quam ipso naturæ jure, quinimò divino, licitam esse, nemo seriò rem gerens refragabitur. Quid quod non simpliciter & absolutè, sed sub certis demum conditionibus Repressaliæ probentur? de quo negotio, superiùs ad formam, quam diximus, essentialè, actum pluribus est. Ad extremum, si ejus, quod injustum dicitur, indolem, curatius & pensius examines, & cum illa Repressalias, quoad internam illam, ab ipsa veluti natura concessam *χέρον* componas, nihil profectò in illa deprehendes, quod à justis, adde & æqui, finibus abhorreat. Et hæc quidem, nobis ex instituto sufficiant adducta, pro Repressaliarum justitia & æquitate, fundamenta. Addere possunt, quibus id volupe est, *Barth. de Repress. quest. 1. per totum. Didac. Covarruv. in C.*

G

peccatum,

*peccatum, de R. J. in 6. p. 2. §. 9. n. 4. Ludov. a Peguera decis. 11.
 Petrus Binsfeld. de injur. & damn: dat. c. 8. quæst. 4. Petr. Heig. p.
 1. qu: 12, Barbof. Collect: ad Auth. Sed omnino. C. Neux. pro mar. n. 8.*

§. 75.

Ad argumenta, pro tuenda sententia, justitiam Repressaliarum negante, supra adducta, facili, imò nullo negotio potest responderi. Primum, quatuor constat membris; quorum primum agit de Jure Naturæ, cui adversari Repressalias, contendunt. At, quomodo id probant? Alteri per alterum iniquam inferri conditionem, Jure naturæ prohiberi, ajunt, quod, laudatis è Juris Justinianèi Corpore legibus, erat, si Diis placet, probandum. Sed respondendum est; Regulam hanc intelligi, & exaudiri debere, de illo casu, quo neque verè, neq; fictè, culpa potest imputari illi, cui iniqua dicitur conditio inferri. Quod de Cive per Repressalias exacto dici non potest, cum notum sit, factum Civitatis, tanquam personæ moralis, censeri factum singulorum; & contra, quod tali casu unus debet, juris quadam fictione, omnes & singulos debere; Frustra igitur nobis hinc obijciuntur *l. 74. ff. d. R. J. l. 155. eod. l. 22. C. de pæn. §. 3. Instit. de J. & J.* Cui addi potest, quod non omni subsidio suum recuperandi destituatur Repressalias passus; ut ut vicissim Repressaliandi jus homines Civitatis, à qua damnum passus est, ipsi nequaquam concesserim. Quod si vel maximè ponas, aliquam fieri Repressaliato injuriam, exinde tamen nondum mihi conficies, injustas esse Repressalias. Præterquam enim, quod id fieri per accidens dici possit, illa qualiscunque privato facta injuria, publica utilitate satis rependitur, & qui jam gravatur, alio tempore potest rursus juvari. Scimus, nobis hinc adversari Grotium c. 1. §. 1. sed tota illa philosophia spectat ad pignorationes, quæ fiunt à privatis, in privatos ejusdem civitatis, quod textus citati, *nempe lex un. C. ut null. ex vic-*

can.

can. qua est Zenonis, & Novell. 52. cuius inscriptio est; ut non fi-
ant pignorationes pro aliis personis, ad oculum Lectoribus osten-
dunt. add. Barbos. Collect. ad Auth. sed omnino C. ne Ux:
pro mar:

§. 76.

Alterum primæ oppositionis membrum est de jure
Divino conceptum, prout illud naturali contradistin-
ctum, Juris arbitrarii speciem facit. Huic etiam repugna-
re Repressalias, habent persuasum; ad quod probandum,
loca aliquot in testimonium provocant; unum è multis
adducam Jeremiæ c. 31. vers. 29. *Hellenistæ* ita sunt interpreta-
ti: Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἂν μὴ εἰπωσιν, οἱ πατέρες ἔφαγον ὄμ-
φακα, καὶ οἱ ὀδόντες τῶν λέκνων ἠμωδίασαν. Et versu 30. Ἀλλ'
ἕκαστος ἐν τῇ ἐαυτοῦ ἀμαρτίᾳ ἀποθανεῖται, καὶ τὸ φαγοῦν τὸν
ὄμφακα, ἀμωδίασιν οἱ ὀδόντες αὐτοῦ. Nempe hic est sensus, ad
quem multi obhæserunt. Novi pacti tempore, non dicturos
credentes, se delicta majorum immeritos luere, sed quemli-
bet confessurum esse, se pœnam suis peccatis promeruisse. Se-
cus res habebat in V. Testamento; illius enim tempore, Ju-
dæi, ob flagitia à Deo castigati, pœnam Majoribus suis impu-
tabant, eamque se sustinere credebant innocentes; Quid
verò hoc ad Repressalias? Simile de verbis, quæ habentur
Deut. c. 24. vers. 16. esto iudicium. Jure Divino licitas esse
Repressalias, tradit *Barbosa c. l. ad Auth. sed omnino, C. Ne Ux.*
pro Mar. & pro se verba facere jubet c. *Dominus noster 23. qu.*
2. cujus auctoritatem, ipsis Scripturæ dictis videtur oppone-
re, quando sic inquit: *Non obstant auctoritates desumptæ ab*
Ecclesiaste &c. quia expresse contrarium probatur ex c. Dominus
Noster. Quam Philosophiam Autori suo relinquo. Hoc
interim certum esto: Juri divino Repressalias non adversari.

Jus Civile, & Canonicum, quæ tertium & quartum primæ objectionis membrum constituunt, quod attinet, illis non prohiberi Repressalias, tam certum credimus, quam quod est certissimum. Et profectò cassa occupare præsidia, qui ad *L. Un. C. ut nullus ex vican: & Novell. 52.* se in hac controversia recipiunt, ocularis inspectio docebit; adde *Barbos. c. l. n. 8.* Neque fortiùs adversantes juvat *c. un. de injur. in 6.* quo Clericos à Repressaliarum jure liberos Gregorius Pontifex declarat, *cujus dispositionem comprehendere non posse laicas personas, & earum bona, nec procedere, nisi in personis Ecclesiasticis,* dicit *Barbosa c. l. ubi,* Jure Canonico non prohiberi Repressalias, tum Juris illius Textibus, tum Doctorum auctoritate, ostendere laborat; sed quomodo è textibus adductis id conficiat, aliorum censuræ defero. Posito autem, juri Civili & Canonico prorsus refragari Repressalias, numquid exindè statim sequetur, illas esse injustas, aut iniquas? adde quod juribus illis locus, in præsentibus Comitibus, posset videri denegandus.

Pergimus ad alteram oppositionem, per quam *violentum, & privatam redolens vindictam remedium,* Repressaliæ proclamantur. Posterius falsum esse, quando, requisitis omnibus existentibus, publico Imperantium nomine, decernuntur, non putamus, quenquam negaturum. Violentum esse remedium, concedimus; sed quid inde conficiant adversarii? Ergone, quod violentum, statim erit injustum? sequetur ergo, nullum fore bellum justum: quod est absurdum. Et nos supra ostendimus, naturæ non repugnare, per vim consequi, quod alio non potest pacto obtineri.

53
§. 79.

Quod de periculis loco postremo affertur, tale est, ut vix mereri responsionem videatur, cum leniora remedia prius sint adhibenda, quibus si nihil efficitur, tum demum ad hoc remedium extraordinarium conceditur decursus, ita quidem, ut nec temerè, nec timidè Repressaliis uti Civitas debeat. Ne nunc dicamus, quod, admissa hâc de periculis hypothesis, nulla unquam Civitati essent gerenda bella, cum majoribus utique periculis conjuncta, ad quæ, ne deveniendi sit necessitas, hoc, tanquam tutiore medio, Civitas utitur. Quod verò additur, æquitatem naturalem non admittere, ob unius membri læsionem, aut injuriam uni factam, totam Civitatem in discrimen conjicere, falsum esse, & societatis Civilis fini repugnare, constanter asserimus; cum ideò in Civitatem coëant homines, ut suum cuique salvum sit, communi ope & conspiratione. Omitto, quod ob civis, etiam unius tutelam, bellum indicere Civitas possit. *Barbos. l. cit.*

§. 80.

Altera quæstio ad *Repressaliarum* pertinet *antiquitatem*. Quidam jus illud novum faciunt, alii contra vetustum. Pro his pugnant tum exempla, quæ *Grotius h. §. 5.* adducit, tum usitata Græcis *σύλη, ἀνδροληψία καὶ ἐνεχυρασμὸς* vocabula testantur. Rectè proindè *Gail: de Pignorat. Observ. 2. n. 5.* usum *Repressaliarum* non novitia consuetudine invaluisse, dicit. An verò à vetustissimis Romanorum Legibus radicem sumpserint *Repressaliæ*, puta ab ipsis *fecialibus*, à *Numa* constitutis, quod *Zasium* secutus *Gail. c. l.* existimat, aliis arbitrandum relinquimus. Rectè *Limneus. c. l. n. 306.* *Crediderim* inquit, *eas, ratione, quæ ex jure usque deduci poterit Gentium,*

G 3

tium,

viu, *u*erustissimas esse, at non forma, solennitate, & usu. Qui pro Repressaliarum novitate pugnant, nudum vocabuli corticem aspicere, neque ad rei medullam penetrare existimamus; Similes illis, qui ad solum nomen respicientes, Rationi Status de antiquitate litem movent, & an *Aristoteli*, & antiquis cognita fuerit, indoctè disceptant.

§. 81.

Denique de Usu & abusu quærunt nonnulli. Usus ex illis quæ supra passim, tum de fine præsertim, diximus, manifestum cuivis esse arbitramur. De abusu, hodiernis præcipue temporibus, plurimorum gravissimæ extant querelæ; nec sine causa. Nihil tam salutare societati humanæ repertum est, quo malitia hominum, potentiâ armata, non abutatur. Sed nolimus hanc movere Camarinam. Videri potest *Sixtinus de Regal. l. 2. c. 1. n. 36. & 37.* ubi laudat *Constitutionem Imperii*, quæ est in *Ord. Cam. p. 2. tit. 1. §. Es soll auch* &c. Non tamen propterea verus Repressaliarum usus erit è mundo tollendus, neque omninò probandum, quod dicit *Gail. de Pign. obs. 2. n. 2. Imperatores Romanorum non consuevisse concedere Repressalias, ob denegatam justitiam, vel aliam ob causam, idque eo fine, quod in concedendis Repressaliis pugna quodammodo offeratur, unde bellum, inquit, sequitur, quod, licet iustum esse, dici possit, Text. in d. c. Dominus noster 23. q. 2. tamen quantumvis iustum sit, infinita secum trahit incommoda, & latrociniis atque publicis scandalis viam aperit, quibus summus Princeps ansam præbere non debet.* Quis talia ferat extra Repressalias internas? Et cur non eadem operâ bella quoque omnia è mundo proscribimus?

Tantum est.

S. D. G.

Emendanda.

Pag. 9. lin: 10. pro imperum, legatur imperium, in ead: lin: pro
κόριον κέριον. Pag. 13. lin: 7. pro coditio, conditio. Pag. 15.
lin: 7. pro permandi, permanendi. Pag. 21. lin: 16. pro qua-
les, quales. Pag. 19. lin: 14. pro Germauicæ, Germanicæ. Pag.
25. lin: 28. pro rebus legatur verbis. Pag. 29. pro denuncia-
tiones, denunciationis. Pag. 30. lin: 14. pro ibi, ubi vis. l. 15.
pro antea autem. l. 18. pro assertationem, assertionem. l.
ead. pro monenti, momenti. Pag. 42. l. 22. pro ulterius,
alterius. Hæc nos observavimus, reliqua Benevolus Lector,
pro ea, quâ par est, humanitate, ipse corriget.

ULB Halle
002 424 312


3



VD 77

TA - FL





V! 1682, 2 9

SALIIS. 25

rale Juridicum,

Consensu

Nobilissimi

Ordinis,

DE

ARTINI, JC.

l. Civ. P. P.

n. t. Decano.

ENTIA, 25

ure Honores, ac

legitime consequendi,

dum exhibet

HÆUS RODDE,

nsis.

ii Anni 1682.

ante & Pomeridianis.

NI,

nni, Acad. Typogr.

